

plari ad quinquagenas. Mesue verò cap. proprio sic:  
Teratur cum facilitate in vase lapideo; deinde fundatur su-  
per ipsum aqua dulcis, & lauetur, sicut terendo, & fiat il-  
lud trigesies semper in nouando aquam, & adhuc decies, po-  
stea abluatur aqua Rosata, vel Buglosse, vt Alchindo placet.

Lacca quo-  
modo.

Lacca idest Cancamum abluatur, vt vult Serapio,  
aqua calida vnà cum furculis, quibus adhæret, in  
qua decocta fuerint Aristolochia, & Iuncus odora-  
tus, deinde exsiccanda, vt Diosc.

De Infusione, et Maceratione, necnon et iam  
Dissolutione. Cap. XXII.

**I**NFUNDUNTUR, ac macerantur, &  
dissoluuntur varia simplicia ob multos  
fines: Aliqua enim infunduntur, & ma-  
cerantur, vt liquari, dissolui, ac læui-  
gari possint, quod pronunciauit Gal. 1. de Ant. c.  
15. ita: Succi omnes vino macerentur, vt dissolui, & læ-  
uigari possint, vt Sagapenum, Opium, Hypocistis, & suc-  
cus dulcis radiculæ, interdum Myrrha, & Crocus, & Thla-  
spi, & Napi semina prius contusa. & Damocr. cap. 16.

Mero dissolue lacrymas, succos, atque  
Metalla, donec mellis acquirant modum.

Et 2. de Antid. vbi de Cyphoide, hæc:

Bdellium, Vinum, Myrrham in mortarium

Mittunt, & terunt quoad mellis crassitiem.

At hæc supponunt Infusionem, & Maceratio-  
nem, & ideo ad Pamphilianum hæc: Per tres dies ma-  
cerentur, & tantum vini infundatur, vt superferatur.

Non-

Quantitas li-  
quoris in ma-  
ceratione.



Nonnulla infunduntur, ac macerantur, ut proprias facultates in aquam, vel alium liquorem transmittant, quæ deinde abijciuntur, sicut legitur lib. 6. de Comp. per loca, ubi de confectione de Malis Punicis sic: *Infundantur per diem fracta, & contusa, donec suam qualitatem in mustum transmittant, sic & capita Papaveris, ut lib. 7. Si humidiora, & molliora per diem, accipienda est autem in huiusmodi sermonibus & nox, si sicciora, & duriora, longiori tempore.* Et ideo Actuar. ut dilucidè scribitur lib. de Comp. Med. per diem, & noctem infundere iubet. Ob causam iam dictam infundere, & macerare decreuit & Rhabarbarum & Myrobalanos, & alia multa, quorum aliqua non tantum virtus, sed tenuior eorum substantia in liquore permanet, ut dum infundit Casiam, ac Tamarindos, quæ postea per colum traiecit, ut in Syrupo de Fumoterræ. Sint calidi liquores, vel aquæ, quibus illa infunduntur, ut cap. de Rosarum infusione videre licet; postea tempore conuenienti macerata exprimantur, & colentur.

Quedam facit meliora infusio nunc qualitatem maleficam auferendo, nunc bonam fouendo, & augendo. Primo granum Cnidium, & Esula (quam aliqui dicunt Mezereon, sed re vera Tichymalus existit) aceto macerata acrimoniam superficialiam amittunt, ac Turpethum lacti recens mulsu infusum, & siccatum, ventrem turbare desint. Secundo modo Turpethum succo Cucumeris agrestis maceratum, materiam crassam à partibus remotis valenter educit, & Hermodactylus aceto Scyllitico, aut

L 2 Scyllæ

Maceratio,  
aut infusio  
per diem et  
noctem.

Assatio  
per colum

Melle in  
Cassia

Scylla  
per diem  
et noctem



Mezereon  
aceto infus.

Ciminū a-  
ceto macer.

Maceratio  
ad hunc  
modum  
fit.

Scyllæ succo, aut Raphani infusus, à iuncturis potè  
ter trahit: & Agaricus Oxymellite maceratus fit pur-  
gantior. Hæc Mesue, Sic & Mezereon, idest Chame-  
læ folia aceto per diem infusa, & postea exsiccata,  
meliora, vt Mesue; à quibus fibræ illæ auferendæ ve-  
niunt, imperante Dioscoride. Sic excellentius Ci-  
minum euadit per diem, & noctem maceratum, vt  
Haly 10. Pract. c. 16. & Serap. de Antid. sit autem  
acetum maximè acre, sicuti præcipit Gal. 4. de sa-  
nit. tuen. cap. 5.

### De Assatione, et Torrefactione.

#### Cap. XXXIII.

Assatio quo  
pacto fiat.

Mesue in  
Can.



**S**PECIEM Decoctionis esse Assationem  
absumpto humido superfluo ab igne  
suscitatam, decreuit Mesue; in qua ta-  
men coctura omnino non absimitur  
propria humiditas medicamenti. Hæc fit frixorio,  
vel patella, quæ nunc virtutem medicamenti adauget, vt  
assata Scylla: nunc minuit, vt Psyllium assatum minus pur-  
gat, & multa assatione fiunt meliora: Quandoque virtu-  
tem purgandi reprimat, & adstrictoriam intendit, vt in Rha-  
barbaro, & Myrobalanis.

Scylla quo-  
modo asse-  
tur variè.

Scyllæ assandi modum cecinit Andromachus  
narrante Gal. sic:

*Inde Capillato Scyllam cum cortice sumptam*

*Pulte linas, media constituasq. foco,*

*Ac cineris rutili cumulos superingere, donec*

*Reddatur Scyllæ mollius igne caput,*

Signa